CONCIO HABITA AD SANCTISS. D. N. CLEMENTEM VIII. PONT. OPT. MAX.

IN BASILICA SANCTI PETRI
IN VATICANO

DE REFVLGENTI SPIRITVS S. ADVENTV
AVGVSTISSIMA PENTECOSTES DIE
ANNO CIϽ IϽ XCIII.

PER HIERONYMVM VITALEM A LOBERA
Sacrae Theologiae Doctorem.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE



SVPERIORVM PERMISSV.

ROMAE,

Ex Typographia Dominici Baſae. M. D. XCIII.

CLEMENTI VIII·
PONT. OPT. MAX.

HIERONYMVS VITALIS A LOBERA
Sacrae Theologiae Doctor, poſt ſanctiſs.
illius pedes deoſculatos,
felicitatem.

CVM de Aduentante SPIRITV SANCTO P. M. concio à me habita coram Sanctitate Tua Ecclesiae Procerum aſſiſtente Cardinalium conuentu, ſi ſplendoris quippiam prae ſe tulerit (taceo diuina) ex Maieſtatis tuae gloria ſe nactam eſſe ſenſerit, non mirum, ſi ſecundo ad te, tuis & nominis, & virtutum luminib. colluſtranda veniat, vt tota collucens in lucem ſic prodeat. Tum vel maxime, quia cum SPIRITVS SANCTVS, ex ſplendidiſſimis illis caeli Amphitheatris in ſedem Apoſtolicam, & in te praeexcelſum monté, in ea tamquam in vertice montium ſedentem, inauratae lucis ſuae ſpicula nitore perpeti immittat; moerito haec de SPIRITV SANCTO, ſanctitati Tuae, ſediq. Apoſtolicae conſecratur oratio. Ad tuos itaq. ſanctiſſimos pedes ego procumbens, ſupreme Hierarcha, hanc S. T. praeſento orationem, qui & vrbem, & orbem ſanctiſſimis, & inſtitutis, & exemplis, informare, amplificare, & condecorare, vigilanter curas.

Ipſiuſq. ſententias, tamquam ſpicas quaſdam tibi offero initio huius aeſtatis, virentes illas quidem, quia ex perlaeto animo oblatas, igne tamen Paternae charitatis tuae torrendas, oleo benedictionis perfundendas, ac tanti Pontificis orationis thure adolendas; vt legentib. perſuauem praebeant guſtum SPIRITVS SANCTI. Quem ex animo precor, vt tam glorioſum Pontificatum in Eccleſiaſtico regno faciat quam diutiſſime praefulgere.

ORATIO HABITA DOMINICA PENTECOSTES.

SAcri Paracleti Spiritvs, P. B. Praefulgentiſſimis quibuſdam radijs, ſeu [a] ſagittis electis, ac [b] fulgurantib. haſtis, animoſa Apoſtolorum Chriſti pectora inurentis Aduentum Auguſtiſſimũ, multo iam ante inclyte praefiguratum, Sancta Mater eademq. perpulchra Chriſti Sponsa Ecclesia, hodierna die toti orbi fauſtiſſima, ſtata ſolemniq. caeremonia, alta voce intonat, grata recordatione recolit, animis feſtiuiſſimis celebrat, tot tamq. praelucentiſſimis condecorata donis, deuotiſſime veneratur. Sed dum huius glorioſi Aduentus praeconia, coniunctiſſimosq. Eccleſiae cum ſponſo ſuo amplexus caſtiſſimos aperire geſtio, eundem Sanctvm Spiritvm exoro, vt pauida pectora in ſuas praeexcellentiſſimas laudes anhelantia, [c] ſeraphico illo calculo ſic accendat, vt fulgentiſſimus Aduentus ſui decor corã tanta, tamq. praeexcellenti Pontificia Maieſtate, Ampliſſimoq. ſenatu conſedente, cunctis aſpectantib. nobis in ore verſetur.

Poſt illud ſingulare certamẽ, quo ille publicus propugnator, ac Myſticus Dauid [d] quinque limpidiſſimis ex paſſionis Torrente acceptis lapidib., praefulgentiſſimarum cicatricum pretioſiſſimis pyropis Daemonẽ exuperaſſet; ac niueo ſplendore coruſcãs Christvs dominus caelos aſcendiſſet. Eccleſia vero ſponſa in ſacro Apoſtolorum coetu, veluti pulchra [e] Noëmi, ſeu ſpecioſa [f] Iudith ſuis cum ancillis intra coenaculi domum cõcluſa, domino deuota moraretur; dum graui percul ſa [g] moerore imo de pectore gemitus educeret; [h] dum ieiuniorũ myrrha, & aloë, ſeſe perpurgaret; dum profundo meditationis pectine, ac inaurato cõtẽplationis calamiſtro, diſcriminatos crines vitta paſſionis coccinea innodaret; dum ſeptiformis gratiae rore, inſtar [i] cincinnorum perchari ſui ſponſi, repleri exoptaret; mellifluoq. tandem oſculo oris ſui oſculari (vt de eius inflãmato deſiderio ante dominicum aduentum ſacer ſcribit [k] Ambroſius) poſtularet. Ecce Cvm Essent Omnes Pariter In Eodem Loco; quaſi iã flatũ aſpirãtis, & colles tranſiliẽtis ſpiritus praeſentirẽt.

a Eſay. 49.
b Abacuc 3. ambo ſecundũ ſenſum myſticum.
c Eſai. 6.
d 1. Reg. 17.
e Ruth. o.
f Iudith. 8. & 10.
g Io. 16. iuxta expoſitionem. Haymonis.
h Matth. 9. & Luc 5.
i Cant. 5.
k Ambr. ſuper c. 1. in Cantica canticorum.

l Act. 2. *l* Factus eſt repente de caelo ſonus, tamquam aduenientis ſpiritus vehemẽtis,& repleuit totã domum, vbi erant ſedentes. Et apparuerunt illis diſpertitae linguae tamquam ignis,ſeditq. ſupra ſingulos eorum; & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & coeperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis.

O praeclara praepotẽtis Dei beneficia, O immẽſae charitatis inclyta munera, O ſancti Spiritus pretioſiſſima dona. *m* Enimuero Spiritus ſanctus,tertia in illa maxima venerandaq. Trinitate perſona, ex Patre, Filioq. in maieſtate coaequalis, duratione quidẽ coaeternus, eiuſdemq. virtutis,ſapientiae & bonitatis ineffabili quodam modo ab aeterno procedens, in tẽpore tamquã ſol nimis properans, ex aureo quaſi conſurgens cubili, in monte Sion rutilantiſſimus apparet; eiusq. iubar Angelorum cuneis periucundum,diſcipulorum oculis ſuauiſſimè affulget; & glorioſam cum Chriſto aureo inſlammati amoris nodo *n* ſororẽ ſponſam aſtringit, qui Patrem & Filiũ aeternae charitatis nexu indiſſolubili cõnectit. Cum enim Pater Aeternus *o* à dieb. aeternitatis ſe, ſuaſq. diuinas attributiones infinitas, in infinitũ videret in filio expreſſas; filius vero Patrem, *p* à quo ſemper gignitur,tamquam Prototypon abyſſali perſpicacia reſpiceret; Patre in tam perdilecto à ſe progenito filio mirum in modum ſibi *q* complacente,nihil eo ſapientius,aut perfectius dicente; filio verò rurſus nihil Patre potentius, aut maius manifeſtante; ex hac immenſa amborum cognitione, tamquam ex duorum lapidum impetuoſa colliſione,tanto ſunt diuini amoris, & charitatis flamine ſuccẽſi, adeo peramanter iſti duo amantes ſeſe amplexati ſunt, vt Spiritũ ſanctum tertiam in Trinitate perſonã,Communi Spiratione conſpirarint, & in hac permagna Solemnitate ſuauiſſimis melodijs in terras miſerint. Propterea, PATER BEATISSIME, cum illius magni trium vocum cãtici ſummae Trinitatis,Patris,& Filij, *r* dilecti ex dilecto, duae voces auditae viderentur (vt eſt in Euangelicae enarrationis ſacrario repoſitũ) iam tertia Spiritus ſancti,(vt eſt in archiuio Apoſtolicae hiſtoriae reconditũ,) melliflua perſentitur. Iam *ſ* vox turturis in terra noſtra auditur. Iã *t* columba cum viridi Oliuae ramo viſitur & deniq.quae in ſilentio delituerat,iam canoro ſono intonare, totaq. foecunda pullos ſuos candidos intima aſperſione foecundare ſentitur.

m Perbreuis Spiritus ss. proceſſionis inſinuatio.

n Cant. 4.

o Mich. 5.

p Mag.ſent.lib. 1.d.9.

q Math. & Luc. 3.

r Cant. 5.

ſ Cant. 5.

t Gen. 8.

O ineffabilẽ Paracleti ſpiritus aduentum,O praefulgentẽ altiſſimi ſolis rotã, O caeleſtis virtutis radios ſupra coenaculum collucẽtes.Hac enim percelebri PENTECOSTES die SPIRITVS SANCTVS diuinis ſplẽdorib.,quos per illũ expurgatiſſimũ aẽrẽ

diuina

diuina arte ſparſit, perinde ac nitidiſſimis carbunculis Apoſtolicos illos vertices mirificè irradiauit; ignib. tamquam chryſolithis quibuſdam ſplendentiſſimis fideles illos chriſti diſcipulos inflammando, amanter ſauciauit; nitorib. fere innumeris, tamquam relucentib. Sapphyris, gemmisq. vernantib. perpulchre adornauit; auro obrizo ſplendenti diſcipulorum ceruices ad Chriſti *a* iugum ſuaue portandum, venuſtiſsime condecorauit; rufas Alabandinas quaſi diuinae formae ſcintillas ſupra Chriſticolarum comas emiſit; carbonibusq. ſuccenſis tamquam Hyacinthis fulgidis eos illuſtrauit; atq. ipſorum capitib. rorantium donorum diademata Sardijs pretioſiora imponẽdo, cum magnis *x* buccinarum inauditi iubilei clangorib. caeliſq. tonantib., eos coronauit. Quid plura? Mirabile quidem dictu, viſu tamen mirabilius, multis ac diſpertitis, vt aperto pectore dicam, linguis tamquã fulgorib. clareſcẽtib. reſplẽdens SPIRITVS SANCTVS, eiusq. Maieſtas praeſens, vt Magnus ille *y* Leo Papa, & in hoc for ſan ſancti Petri Sacratiſſimo templo eſt concionatus, ſupra Chriſti diſcipulos ad mundi veſperam volitat, qui in mũdi primordijs elemento aquae purificatorio, vt diſertiſſimus profert *z* Cyprianus, ſuperferebatur; & ſupra eorum ſingulos, tamquam ſupra cẽtum viginti thronos eburneos magno cum omnium gaudio, iubiloq. *a* ſedendo, requieſcit.

a Math. 11.
x Leuit. 25.
y Serm. de Pẽtecoſte.
z Serm. de Spiritu ss. & alludit locũ Gen. 1
a Act. 2.

Sed quae vox enarrare, quaeve lingua digne depromere, ne dicam balbutiendo reſonare valebit iucunditatem Eccleſiae, quã SPIRITVS SANCTVS radijs potentiae fulgens, ſapiẽtiae claritatib. rutilans, luminib. bonitatis eluceſcens, caeteris donis, fructibusq. dulciſſimis circumfluens, diuinitatisq. luce coruſcãs, fauſtam ac iubilantẽ reddidit? Effugit planè omnem ſermonem, atq. mentis humanae ſenſum excedit iubilus ille, illa delectatio, illa feſtiuitas, illa exultatio, illa hilaritas, illud gaudium, illa charitas, ille deniq. Spiritus ſancti fructus copioſiſſimus, *b* ſuper mel & fauum dulcior, ab Apoſtolis hac die perceptus, ac deguſtatus.

b Pſal. 18.

Ineffabilis vere pietas Saluatoris (vt *c* Auguſtini verbis vtar) nulloq. ſilentij velo obtegenda, hominem portauit ad caelum, & Deum miſit ad terras; abeuntem Chriſtum non amiſimus (inculcat idem) & veniẽtem ſpiritum (quaſi conduplicato gaudio excipiendo) poſſidemus.

c Aurea S. Aug. ſententia ſer. 1. de miſs. Spiritu ss. qui eſt ſer. 183. de temp. & ſerm. item 185.

d Veni igitur Alme Spiritus, menteſq. noſtras viſita, vt prophetarum oracula, vt diuinorum cõcionatorum elogia, vt innumera ſcripturarũ monumenta te ipſum aduentantem declamãtia auguſtius meditari valeamus. Ecce enim BEATISSIME PATER, *e* Mulier illa amicta ſole, quae modo, terrenis ſpretis affectib., mundanas poteſtates pedib. calcat. Ecce lugubrib. modo exu-

d Amb. hymno 32.
e Apoc. 2.

ta ve-

ta veſtib., laetitiae & iucunditatis conchyliatis induta, & inſignita ornamentis, omnib. mundi luminib. praeſtantior apparet. Ecce electae pulchritudinis ſponſa, *f* candido & rubicundo ſponſo, tam innocentiae candore, quã charitatis purpura reſpondens. Ille lilijs ſanctitatis, & plagarum roſis redoleuit; Hæc vero integerrimae puritatis, ac flagrantis martyrij deſiderio emicuit. Ille cruore roſeo in Paraſceue ſuffuſus apparet; Iſta caeleſtium gratiarum rore, in *g* pluuiae voluntariae ſegregatione, perfuſa conſpicitur. Rex ille praefulgidus, qui *h* tinctis veſtib. de Boſra conſcenderat caelos, vt clariſſimos heroës perſimiles ſibi redderet, hodie regia, purpureaq. chlamide affabrè couestiuit; eosq. fulgentiſſimis hemicyclis circumfulſit, atque regia maieſtate refulgere in coenaculi ſolio, & ſedere & ſpectari fecit.

f Cant. 5.
g Pſal. 67.
h Eſai. 63.

In hac celeberrima die Eccleſiae Primates, ſapientia quidem praecelſi, patientia fortiſſimi, temperantia pulcherrimi, fama peregregij, perſeuerantia conſtantiſſimi, innocẽtia candidiſſimi, omni deniq. virtutum ſplendore praenitentes, hodie conſtituti ſunt pergloriosa myſtici Salomonis *i* reclinatoria.

i Cant. 3.
k Cant. 6.

Quamobrem ſacroſanctam Eccleſiam, quaſi *k* conſurgentem auroram mentis oculis intueri, ſuſpicere, & admirari non deſiſtamus. Ecce enim de caelo deſcendit, tamquam Hieruſalem ſancta, ciuitas noua, à Deo parata, auro mundo ornata, & tamquã ſponſa viro ſuo conſecrata. Congratulemur ei, quia admiranda charitate affecta, ſine maculis, & rugis hodie conſpicitur.

Quid eſt igitur cur miretur, Principes Illuſtriſsimi, claſsis Apoſtolica multis armorum praefulgentium potentijs coarmata, ſapientiae, & ſcientiae Dei auro oppleta, ſacramentorum medicinis, & gratia ſanitatum onuſta, inuiſibilib. virtutib. circundata, pretioſiſsimis lapidib. donorum, gemmisq. virtutum, omni deniq. diuitiarum genere conferta, foelicitatis portum laeta, ſerenaq. tranquillitate adeat flante Deo? Flatus ſiquidem diuinus ipſius vela, mira quadam arte elaborata conflat; atque è ſacro Coenaculi portu (quo ſe poſt Magiſtri diſceſſum receperant naues iſtae *l* Tharſis) in patentiſsimum huius mundi mare exire compellit; Illorumq. Apoſtolorum ſacra praecordia, ſeu quaedã diuinitatis organa inflat, vt diuinas laudes, *m* Deiq. magnalia, in omnib. totius mundi templis admirabiliter perſonent. Iamq. mihi ante oculos obuerſatur exercitus ille Purpuratorum, quem vos Cardinales Ampliſsimi, coccineis iſtis veſtib. in Eccleſiae theatris, mirabiliter exprimitis. Qui *n* Elephantibus illis, in Machabaeorum libris recenſitis perſimiles, ſanguine mori & vuae illiti, ad praelium acriter acuuntur; nam praeſtantiſſimi iſti duces amoris vino inebriati, in Hieruſalem ciuitatem, à Christo ſu-

l Pſal. 47.
m Act. 2.
n Mach. 6.

premo

premo militiae Magiſtro obſeſſam foeliciſſime irruunt. Quinimo militiae iſtius Archimagiſter Petrus, totius Eccleſiae Princeps, & Corypheus, quaſi *o* Moyſes alter de monte Sion deſcendens, vna cum ordinis Leuitici, & Apoſtolici comilitonib. ad tantũ conuerſionis opus, fulgenti Chriſti vexillo expanſo, & linguarum ſuarũ gladijs ſtrictis ſic ſeſe accinxit, vt hac vna, auguſtiſsimaq. die, *p* tria hominum milia ſub iugum Chriſti ſubegerit.

o Exod. 32.

p Act. 2.

Hunc ergo ſpiritum firmiora Eccleſiae Capita potauerunt; & tanto ſpiritu hi *q* caeli Apoſtolici ornati, innumeras fere eccleſias, (quas taceo) doctrinae imbrib. & naſci, & germinare fecerunt; in quib. tamquam in officinis hi caeleſtes Aromatarij, pretioſiores liquores gratiarum largiſsime effuderunt. Hunc ſpiritum Martyres, inclyti Eccleſiae milites ebiberunt; qui in cruciatib., in tormentis, illius virtute fortiores effecti, ad ſupremum vſq. ſpiritum inuicti reperti ſunt. Hunc ſpiritum Doctores, & verbi Dei feruentiſsimi *r* praedicatores imbiberunt; qui mira dicendi copia, & vi, incredibili erga animas pietate, omnes ad iuſtitiam erudierunt. Hunc praeterea ſpiritum ſignis, atq. virtutib. praeclariſsimi Confeſſores, quaſi lac ſuxerũt; qui vili tunica, & rigido cilicio oſſa protegentes macilenta, in herbeſcẽtib. tegetib., illuſtres de inferorum principib. reportarunt victorias. Hunc item Virgines, ac honeſtiſsimarum puellarũ chori, vltima potius ſupplicia tolerare paratae, quam virginitatis illibatae palmam impollutam, vt minimum amittere. Quae veluti vernantes roſae, ac candidiſsima lilia, inſtar pretioſiſsimi Chriſti floris, de tumulo in hortulo ſito germinantis, & immaculatae virginitatis, & fragrantiſsimae in Chriſtum charitatis redolerunt. Haec tandem fluenta ſpiritus potauerunt, qui tot ſacras religiones diuinis inſti tutionib., tamquã monilib. ornatas, in Eccleſiaſtica Hierarchia erexerunt, approbatas à Sede Apoſtolica, in qua tu, Pater Beatiſsime, cum totius orbis applauſu, hodierna die ſedes. Hoc ergo ſpiritu Petrus Apoſtolorũ vertex, tãquam bellicum inſtrumentum puluere pyreo repletum, ad arcem Romani deſtinatur imperij, ad arces illas Capitolinas, tot regum ſpolijs opimas demoliendas dirigitur. Et corporis ſui trophaea in magnam Chriſti gloriam moriendo appendit, ſedemq. ſupremam conſtituit; à qua omnes Eccleſiae tamquam compoſitae comae, dũ huic inhaereſcunt capiti, ordinatae ſemper fluunt, & delibutae conſpiciuntur. *ſ* His itaq. munerib., tamquam coeleſtib. dotib. coaugmentata Ecclesia, tota ſibi placens & laetabunda, profuſiſq. gaudijs exultans, alternis canticis, delicatiſsimis hymnis, elegantiſsimisq. poëmatis ſe ſupra ſe effert. Hanc feſtiuitatem, quaſi feſtorum omnium coronidem celebrare ſatagit. Nam ſi Marty-

q Greg. PP. in hom. ad pop. in baſ. S. Petri.

r Greg. Naz. oratione 5. in die Pent.

ſ Iuſtiſſima de hac celebritate Eccleſiæ Exultatio.

rum

rum ſacros triumphos, confeſſorum merita glorioſa, virginum rutilantes coronas, Anachoritarũ vitas odoriferas, tãta cum iucũditate celebramus, quãta animi laetitia, hũc PENTECOSTES diem tot paracleſib. inſignem, hunc Spiritus ſancti illapſum, quo quotidie ſancti efficimur, ſanctificare, & concelebrare tenemur?

Apoſtrophe ad Illuſtriſs. Cardinales. Prouocemus ergo (Clariſsimi Principes) ſpiritum iſtum noſtris orationib., precib., vt ad noſtram deueniat domum, contendamus. Ad huius Paracleti Aduentũ cordis noſtri domicilia praeparemus; eaq. diuerſis optimarum virtutum florib. exornemus; periucundis ac pretioſis fidei, & ſpei odorib. cõſpergamus; compunctionis myrrha, orationiſq. incenſo adornemus; balſamo itẽ beneuolentiae, & thymiamate fragrantiſsimae charitatis; vt deſtructa in nobis Diaboli arce, in templum ſpiritus, & Dei commutemur, & illius digna habitacula inueniamur. Vt tam Beatus profecto Hoſpes SPIRITVS SANCTVS, qui Nitor Angelorum, flagrantiſsimum incendium Apoſtolorum, Clypeus Martyrum, victoria Athletarum, coeleſtium Doctrina concionatorum, Deliciae Virginũ, & Viduarum ſolatiũ, Dulcedo Moerentium, & Suauitas laetantium, totius deniq. Eccleſiae Decus, & Ornamentum eſt, & dicitur; tam nitido delectatus Hoſpitio, tam florido (Cant. 1.) oblectatus lectulo, ſtabilem, firmam, atq. perpetuam, in nobis faciat manſionem. DIXI.

Laus Chriſto Ieſu Mariae filio.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE